

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

Lectorum voces.	
Annus Claretianus arridet,	JIMÉNEZ
Quid de morte senserint classici scriptores,	SARMIENTO
Nova et Vetera,	MIR
Commercium epistulare.	
Errare humanumst,	AVENARIUS
Ave, Maria!	LUCESOLE
Bibliographia,	PLANAS, MIR, MOLINA, GARCÍA, JIMÉNEZ
Symposiacion,	MAULEÓN
Palaestra exercitatoria,	VICENTINI
Compositiones vertendae,	
Curiosa et Jocosa,	SACRISTÁN, MAULEÓN

ORDINARII ET SUPERIORUM LICENTIA

AN. XIX . N. 114

M. JANUARIO et FEBRUARIO

AN. D. MCMXLIX

# LECTORUM VOCES

L. SEGALÁ, *in Univ. Barcinonensi Prof.:*

Tibi ob Palaestram Latinam ferventer gratulor, quae cum *Alma Roma* conferre potest.

A. HABERL (AVENARIUS), *apud Aëguas Driburg. in Germania Prof.:*

Opus magnum suscepisti et plenum laboris, sed dignum immortalitate.

J. FURNARI, «*Almae Romae*» moderator:

Ambabus manibus inceptui nos plaudimus... Laboris socium et cur non? signiferum, novum commentarium salutamus.

G. LURZ, *Monacensis Prof.:*

PALAESTRAM LATINAM vestram mihi non ignota est. Eam maxime aestimo: saepe lego et gaudeo.

C. PAGOT, *Lutetiae Parisiorum Prof.:*

Il existe revues écrites en latin. En voici une: PALAESTRAM LATINAM. Des semblables publications devraient se multiplier. Elles pourraient se répandre dans le monde entier

REBELO GONÇALVES, *in Univ. Ulysiponensi Prof.:*

Admirei a obra de cultura... com a publicação dum jornal tao erudito... Terei a satisfação de fazer nas minhas aulas da Faculdade de Letras a propaganda que ella merece.

## DOCUMENTUM AUSPICATUM

*Secretaria di Stato de Sua Santità n. 141333*

*Dal Vaticano, 7 febbraio 1935.*

*L'Augusto Pontifice ha accolto con animo grato e compiacente l'annata 1934 di PALAESTRAM LATINAM che la P. V. Rev.ma Gli ha umiliato a nome non solo del Direttore della Rivista, ma anche dell'entiera Famiglia Religiosa del Beato Claret. Con animo grato per la dimostrazione di filiale pietà che Gli viene offerta da questo devoto omaggio; con animo compiacente per i buoni servigi che tale Rivista rende alla lingua di Roma e della Santa Chiesa...*

*... della P. V. Rev.ma  
aff.mo nel Signore  
E. CARD. PACELLI*

### PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE:

15 pesetarum in Hispania et America.

17 pesetarum in reliquis civitatibus.

Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria 5, Apartado 1042, Barcelona

Scripta ad moderatorem: Conde, 2: Barbastro (Huesca)



## LENGUA ESPAÑOLA

VOX. — Diccionario General Ilustrado de la Lengua Española. — Prólogo de R. Medéndez Pidal; revisión de S. Gili Gaya. — En tela, ptas. 125.

GILI GAYA. — Iniciación en la Historia Literaria Universal. — Ptas. 22.

## LENGUA LATINA

SPES. — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino. — 2.<sup>a</sup> edic. revisada por V. García de Diego. — Ptas. 50.

SPES. — Diccionario abreviado Latino-Español Español-Latino, reducción del anterior para los primeros cursos del Bachillerato, 2.<sup>a</sup> edic. -- Ptas. 25.

ECHAURI. — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino. — 6.<sup>a</sup> edic. revisada por el autor. Ptas. 45.

Id. Lengua Latina (cursos 1.<sup>o</sup>-2.<sup>o</sup>-3.<sup>o</sup>). Ptas. 18.

Id. id. (cursos 4.<sup>o</sup>-5.<sup>o</sup>-6.<sup>o</sup>-7.<sup>o</sup>). Ptas. 25.

Id. Crestomatía Latina para los siete cursos del Bachillerato, Ptas. 20.

## LENGUA GRIEGA

PABÓN-ECHAURI. — Diccionario Griego-Español, 2.<sup>a</sup> edic. revisado por José M. Pabón. — Ptas. 40

ROCA PUIG. — Textos y prácticas para todos los cursos de Griego.

---

Pedidos y detalles a

**EDITORIAL SPES**

Avenida Carlos I. 149 · BARCELONA · Telegr. EDISPES


Cum emitis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

**VINOS DE MISA**

**DE MULLER, S. A.**

**TARRAGONA**

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

**Garantía de absoluta pureza**

**EXQUISITA CALIDAD**

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# Annus claretianus aridet

In fronte uniuscujusque anni lumen sidusque placidum fulget vel funestis micat ominibus.

Adest nobis annus MCMIL; quo tamen lumine?

Bella aut bellorum minae ubique terrarum; «saevit toto Mars impius orbe»; manent hinc et hinc labores, ruinae, funera; insurgunt clades; «ubique luctus, ubique pavor et plurima mortis imago» (*Aen.* 2, 369).

Quis ergo in tanta aerumnarum congerie, anno nova facie ineunti, fausta omnia praenuntiare audeat?

At, quaequae erit hujus anni fortuna, eum tibi felicissimum<sup>1</sup> deprecor, lector suavissime, eumque faustissimum *Claretianae familiae* auspiciari non dubito: Faustissimum nempe, quia, eo decurrente, Missionarii Filii Immaculati Cordis Mariae —*Claretiani* vulgato nomine— postridie Idus Julias sollemnia anni centenarii a Congregatione condita toto orbe celebrabunt atque honestabunt.

Faustissimum quoque, quia undique, ex omni terrarum regione, duces et pastores concurrentes de gregis *Claretianae* incremento in Generali Capitulo agent novamque vim et virtutem eidem injicient.

Faustissimum, denique si, quod Deus bene vertat, summi honores Bto. Claret, Patri ac Legifero carissimo, hoc anno ab augusto romano Pontifice sanciti fuerint.

Unde «PALAESTRA», quae Vergilio honores, anno a nativitate bis millesimo recurrente, sedulo studio dicavit, quae Bto. Antonio M.<sup>sc</sup> Claret in sollemniis beatificationis alacriter obsecuta est, quae Horatio, bis millesimo recurrente anno ab ejusdem nativitate, se dedit devoteque praestitit, quaeque paulo post C. Augusti nativitatem sollemniter celebravit, quidni faustissimum hunc quoque *Claretianum* annum placido lumine nascentem viderit?

Quod si, diebus faustis, omnibus juvat palam novis prodire indumentis, PALAESTRA quoque, mutata veteri jam veste, nova induitur, seseque lectoribus conspiciendam praebet, elegantiore fronte.

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

24 - XII - 48.

## Quid de morte senserint classici scriptores<sup>(\*)</sup>

8. *Mors est una.* — Praeterea, quod dolendum est, quo anguntur corda hominum atque torquentur, illud est, ut ipse perspecies, unam esse mortem.

Veteres philosophi, utpote verae sapientiae lumine destituti crassisque interdum erroribus imbuti, multa de religione deque hominis fine docuerunt veritati absona ac discordia. Quocirca animorum immortalitatem negarunt; memorare unum liceat Lucretium poetam.

Horum, mihi est persuasum, errorum rationem in eo sitam esse, quod apud Vergilium legitur (1):

*impiaque aeternam timuerunt saecula mortem.*

eaque in primis quae hanc unam mortem consequuntur. Hac de re Horatius noster (2):

*omnes una manet nox  
et calcanda semel via leti;*

quae quidem his assonant sacrae scripturae vocibus (3): *statutum est hominibus semel mori...*

9. *Certa et incerta.* — Neque cuiquam latet fore plerosque qui mortem non utique pavescerent, nisi si certam ac veluti ad diem definitam scirent. Id evenire nullibi gentium perspicuum est; verumenimvero homines persaepe nec opinatos impetere et celerius opinione occurrere etiam non sentientes. Quemadmodum est apud Tibullum (4):

*imminet et tacito clam venit illa pede.*

Fati leges certae ac fixae sunt, mortique cum simus destinati, ipsius opera, omnium, quicumque terrae munere vescimur (5), delenda nomina (6)

*versatur urna, serius ocios  
sors exitura et nos in aeternum  
exilium impositura cumbae.*

Ne id quidem minus argute Lucretius versibus persecutus est (7):

*certa quidem finem vitae mortalibus adstat  
neu devitari letum pote, quin obeamus.*

Ad hunc, de quo nobis sermo, exitum velut flumina ad fretum currere nullo non tempore desistimus; sed latet dies et hora, corporis status ac condicio, quibus morte praeoccupabimur, latent penitus; *nemini*, ait Cicero (8), *exploratum esse potest quomodo sese habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum*; quoniam, quaeso, modo dignoscenda est *haec ultima hora*, ut Senecae verbis utar (9), *qua esse desinimus, quae non sola mortem facit sed sola consummat, tunc ad illam pervenimus sed diu venimus?*

(\*) Cfr. fasc. 112, p. 452.

1 *Geor.*, I, 468. — 2 *Carm.*, I, 28, 15. — 3 *Hebr.*, IX, 27. — 4 *El.*, I, 10, 34. — 5 *Hor.*, *Carm.*, II, 14, 10. — 6 *Id. ib.*, II, 3, 26. — 7 *De rer. nat.*, III, 1091. — 8 *De fin.*, II, 28, 92. — 9 *Epist.*, 26.

10. *Quare multa sibi non pollicenda.* — Certissimum, inquam, est factum omnibus ex hac demum vita aliquo tempore esse migrandum quacumque de causa, quibusvis in terrae partibus, quovis diei momento, cum objectum sit omnibus fortunae telis mortalium caput. Neque id praeterire fas est quod uno, ut ita dicam, oculorum icū, adulescentiae senectus, senectui mors obrepat, heu miserandam hominum sortem praecipitemque vicem! Sic Horatius (1):

*omne capax movet urna nomen*

tandem, ut semel educū, iter illud incamū tenebricosum, illuc unde negant redire quemquam (2). Quo fit ut (3)

*nos, ubi decidimus*

*quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,  
pulvis et umbra sumus.*

Igitur, exuvias corporis nostri quandoque posituri, nihil est cur alta et sublimia quaeramus aut magna moliamur, bene illius memores (4):

*haud ullas portabis opes Aetherontis ad undas,  
nudus at inferna stulte vebere rate.*

Nudi ex vimus, nudi regrediemur; nemo mortalium rerum aliquid vel multo labore conquistum sibi afferet praeter illorum, quae perire nequeunt, recte factorum copiam et memoriam: ipsa enim unumquemque sequuntur. Pulcre Ovidius (5):

*nil feret ad manes divitis umbra suos.*

His summam positam, opportunum erit animis mentibusque mandare illud horatianum (6):

*Vitae summa brevis spem nos vetat incobare longam.*

Cur vitam absumas domibus exstruendis atque divitiis sine fine parandis, oculisque pascendis ac recreandis quam maximum fallas tempus, moriture? (7).

*Quid brevi fortes jaculamur aevo  
multa?*

Ita est profecto. Tam arctum nobis vivendi curriculum natura concessit ut jure meritoque fateri cogamur quam recte dictum sit (8):

*immortalia ne speres monet annus et alium  
quae rapit hora diem.*

11. *Neque nimium pertimescenda.* — Hinc sponte exsistit quaestio, quae animos haud parum excutit dilaceratque: *quae potest esse in vita jucunditas*, quaerit Cicero (9), *cum dies et noctes cogitandum sit jam jamque esse moriendum?* Sed qui talia putant, arguuntur reprehendunturque his Phaedri verbis, humili genere orti at mentis acerrimae laudibus certe laudandi (10):

*abiturus illuc quo priores abierunt,  
quid mente caeca miserum torques spiritum?*

---

1 *Carm.*, III, 1, 16. — 2 *CAT.*, *Carm.*, III, 12. — 3 *HOR.*, *Carm.*, IV, 7, 14. — 4 *PROP.*, *El.*, III, 5, 13. — 5 *TRIST.*, V, 14, 12. — 6 *Carm.*, I, 4, 15. — 7 *Id.*, *ib.*, II, 16, 17. — 8 *Id.*, *ib.*, IV, 7, 7. — 9 *Tusc.*, I, 7, 14. — 10 *Fab.*, IV, 20, 16.

Accipiendum quoque est monitum (1):

*tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi,  
finem di dederint.*

Tempus, proinde ut dixi, in ambiguo est. Ideo, *pellantur istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? naturaene? At ea quidem dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur quod querare, si repetit, cum vult? ea enim condicione acceperas. Quae vero aetas longa est? aut quid omnino homini longum? Nonne modo pueros, modo adulescentes in curso a tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus? Omnia ista perinde ut cuique data sunt, pro rata parte, aut longa aut brevia esse dicuntur (2).*

Haec reliquorum expectatio etsi nonnihil nostra refert, ne nos nimium sollicitos reddat oportet. Hanc praecipue fluxam et caducam vitae naturam, qua nihil homini contigit melius, apertissimis verbis probat Seneca esse laudandam dum ait: *natura nihil hominibus brevitatem vitae praestitit melius, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curae, totiens invocata mors, ut nullum frequentius, sit votum (3).*

Vitae in seros annos procrastinationem, quae causa est desiderandi ad ipsam usque senectutem? Homines certo ambiunt quasi annorum longaevitatem perennare suorum; *non refert tamen, auctore utar Seneca, quot annos habeam, sed quot acceperim. Si plus vivere non possum haec est mea senectus. Quicumque ad extremum sui fati venerit, hic moritur senex (4).* Qui brevi etiam intervallo demandatis sibi partibus apte riteque fungitur, is nequaquam parum diu vixit neque cuiquam obitus deplorandus viri boni est, etiamsi *acerba semper sit et immatura mors eorum qui immortale aliquid parant, ut ait Plinius (5).* Inde altius sententia Martialis repetenda videtur (6):

*non est, crede mihi, sapientis dicere: vivam;  
sera nimis vita est crastina, vive hodie.*

Verbo; prudentis boni viri illa sit una regula (7):

*summum ne metuas diem nec optes.*

Verumtamen, tametsi adversam judicemus rationem amplectendam, nemo est omnium, ut opinor, qui non aegerrime ab insita opinione divellatur ac timere mortem desinat, natura semper renitente. Quamobrem saluberrimum, quo in dubiis fulciamur, praeceptum prae oculis habeamus (8):

*non metuit mortem qui scit contemnere vitam.*

Illam enim cum tot tantaque secum afferat incommoda non deterret sapientem quae propter incertos casus et propter brevitatem vitae nunquam longe potest abesse (9).

RAYM. SARMIENTO, C. M. F.

(sequar)

---

1 HOR., Carm., I, 11, 1. — 2 CIC., Tusc., I, 39, 93. — 3 Epist., 26. — 4 Ib. — 5 Epist., V, 5. — 6 Epigr., I, 16. — 7 Id. ib. X, 47. — 8 DION., Cat. Dist. de mor., 22. — 9 CIC., Tusc., I, 38, 91.



# NOVA ET VETERA



PICTURA 21.<sup>a</sup>

Magnum receptaculum - Taberna universalis mercium - Crepundia

1. — Novus jam subest annus. In magnis receptaculis, crepundiorum<sup>1</sup> et munerum expositoria ad strenas apposita sunt. Avum rogavi ut me ad tabernam universalem rerum venalium perduceret, illam bellam expositionem videndi causa; cui rei ille annuit.

2. — Primum constitimus ante armaturas quae sclopeto, galericulo, gladio, cingulo, umeraliis constant, aut galea, lorica,<sup>3</sup> manuballistula.<sup>4</sup> Quae omnia me potius oblectarunt quam laternae magicae.<sup>5</sup>

3. — In eodem loculamento excubitor<sup>5</sup> erat in specula; speciem praebebat vigiliam obeuntis ante feras — e charta densata — claustris inclusas. Quot ibi animalia...! psittacus<sup>6</sup> in pertica, rhinoceros<sup>7</sup> cum cornu in naso, rhenus,<sup>8</sup> struthio,<sup>9</sup> simius<sup>10</sup> crepans dentibus nucem juglandem, vulpes<sup>11</sup> gallinam arripiens, crocodrilus<sup>12</sup> immanes maxillas aperiens, camellus,<sup>13</sup> elegans vertagus,<sup>14</sup> panthera,<sup>15</sup> atque alia duo animalia mihi ignota, quae tamen, mea sententia, mustella<sup>16</sup> erant et

hyaena<sup>17</sup>; leopardus<sup>18</sup> quoque et lupus<sup>21</sup>; et haud procul erant belluli mures<sup>19</sup> atque minusculi quajacei sorices. Tandem hippopotamus<sup>22</sup> et gibber dromas<sup>23</sup> collectionem finiebant. Nisi campus militaris —militum plumbeorum<sup>29</sup> plenus, qui animum conciliaverat — esset appositus, ibi aliquot horas permansissem.

4. — Avus —qui est invalidus<sup>24</sup> et ab exercitu secessit ex vulnere, quo phaleris militaribus est decoratus —, in enarrandis proeliis, quibus interfuerat, delectabatur. Varios minusculi agminis motus libenter explicabat. Aliquot milites, qui tabernam universalem invisabant, i. e. miles munitor,<sup>25</sup> venator alpinus<sup>26</sup> pileo coopertus, optio major<sup>27</sup> pedester et optio tormentarius<sup>28</sup> —limbum aureum in manica deferens —, ut explicationem audirent, juxta nos constiterunt.

5. — Avus, quod auditorium adeo praeclarum haberet, elato animo, pugnae rationem et consilium subito composuit et edixit. Arx cum moenibus ac fossis ab hostium exercitu obsidebatur, qui post diuturnam bombarum projectionem, praesto ad expugnationem aderant. At obsessi fame ad extremum compulsi, irruptionem temptaverant in obsidentium aciem. Impetu repulso, in acerrima pugna prope tabernacula, obsidentes victores in oppidanos devictos turmas immiserunt, qui quidem se receperunt, multis in loco pugnae occisis saucisque relictis; hosque geruli infirmarii ad valetudinarium adsportabant ut a chirurgo curarentur. Quanquam aliquot cohortes, quadrato agmine, acerrime repugnaverant, odiosam tamen acceperunt cladem, reliquum exercitus, multis captis relictis, in fugam se dedit. Hostis, urbe potitus, victoriam reportavit; quod quidem finis procliorum forte erit et, datis indutiis, pacis condiciones conscribentur.

6. — Tirones, qui veterani militis lepidam narrationem audientes ridebant, alia ab eo quaesierunt. Tunc ego mensam circumivi ut ballistam,<sup>32</sup> arcum,<sup>33</sup> sagittamque<sup>31</sup> inspicerem. Aliam ibi animalium collectionem inveni: aves canoras,<sup>34</sup> lusciniam et ficedulam atricapillam machinatas, quae perbelle canebant, aliasque bestias raras: vesperilionem,<sup>35</sup> boam serpentem,<sup>36</sup> testudinem,<sup>37</sup> phocam<sup>38</sup>, balaeenam,<sup>39</sup> squalum<sup>40</sup> confecta e membrana intestinorum bubalorum.

7. — Neque tamen diu in his contemplandis remoratus sum, nam, quod saepe somniaveram, theatrum figurarum<sup>41</sup> vidi cum ornationibus et splendido aulaeo rubro. In scaena duo actores partes fabulae perjucundae agere videbantur, nam pusilli spectatores chartacii, in suggestis collocati aut in cathedris aut in forulis post orchestrae magistrum assidentes, magnum plausum excitabant. Sed, pro dolor!, illud theatrum nimio constabat.

8. — Ceterum, crepundiorum copia magna erat nam in armariis vitreis crepundia omne genus angustius premebantur: sannio,<sup>42</sup> maccus,<sup>43</sup> mimus,<sup>44</sup> bubones<sup>45</sup> alas agitantes, merulae<sup>46</sup> sibilantes, catuli latrantes, grammophonum,<sup>47</sup> deverticula. Ex iis, quodam maxime delectabar ludo naumachiam simulante, in quo navis a piratis insectabatur prope regionem cocorum consitam.

(sequar)

## VOCABULARIUM

- receptaculum, i, n., *almacén, magasin*.
- +taberna universalis mercium, [rerum venalium], *bazar, bazar*.
- strenae, arum, f. pl., *aguinaldo, étrennes*.
- galericulum, [\*kepisium, ii], n., *quepis (ros), képi*.
- +umeralia, ium, n. pl., *barreteras, épaulettes*.
- 4 +manuballistula, ae, f., *pistola, pistolet*.
- 2 +laterna magica, *linterna mágica, lanterne magique*.
- +loculamentum, i, n., *sección, rayon*.
- excubitor, oris; stationarius, ii, m., *centinela, factionnaire*.
- specula, ae, f., *garita, guérite*.
- 7 rhinoceros, otis, m., *rinoceronte, rhinocéros*.
- 8 rhenus, i, m., *reno, renne*.
- 9 struthio, onis, m., *avestruz, autruche*.
- 14 vertagus, i, m., *galgo, lévrier*.
- 16 mustella, ae, f., *comadreja, belette*.
- 17 hyaena, ae, f., *biena, hyène*.
- \*quajaceus 3, \*causuccus 3, (+e gummi indicus), *de caucho, caoutchouc*.
- sorex, icis, m., *ratón, souris*.
- 23 dromas, adis, m., dromedarius, ii, m., *dromedario, dromadaire*.
- phalerae, arum, f. pl., (nomisma, atis, n.), *condecoración, medalla, médaille*.
- minusculus 3, *en miniatura, en miniature*.
- 25 miles munitor, *ingeniero militar, soldat de génie*.
- 26 miles venator alpinus, *cazador, chasseur alpin*.
- 26 optio major, *sargento primero, sergent-majeur*.
- 28 optio tormentarius, *sargento de artillería, maître-chal des logis d'artillerie*.
- limbus, i, m., segmentum, i, n., *galón, galon*.
- pugnae rationem et consilium subito composuit, *improvisó un plan de batalla completo*.
- \*bombarum, \*pyrobolorum projectio, *bombardeo, bombardement*.
- turma, ae, f., *escuadrón, escadron*.
- gerulus infirmorum (infirmarius), *camillero, brancardier*.
- valetudinarium, ii, n., *hospital ambulante, ambulancia, ambulance*.
- Chirurgus, i, m., *cirujano, chirurgien*.
- +cohors, ortis, f., *batallón, bataillon*.
- agmen quadratum, (*ejército*) *en cuadro, en carré*.
- acerrime repugnare, *resistir heroicamente*.
- victoriam reportare, *coronar la victoria, couronner la victoire*.
- dati induitiis, *después de un armisticio, après un armistice*.
- pacis condiciones conscribere, *firmar el tratado de paz, signer le traité de paix*.
- aves canorae, cantrices, *aves canoras, oiseaux chanteurs*.
- lusciniá, ae, f., *ruiseñor, rossignol*.
- ficedula [seu sylvia] atricapilla, *curruca, fauvette*.
- +machinatus 3, *mecánico, mécanique*.
- 38 phoca, ae, f., *fova, phoque*.
- 39 balaena, ae, f., *ballena, baleine*.
- 40 squalus carcharias, *tiburón, raquin*.
- membrana intestinorum bubalorum, *película de tripa de buey, braudruche*.
- 41 theatrum +figurarum, *teatro de títeres, théâtre de marionnettes*.
- quod somniaveram, habueram in animo, *el objeto de mis sueños, l'objet de mes rêves*.
- ornatio, onis, f., *decoración, décor*.
- aulaeum, i, *telón, rideau*.
- +suggestum, i, n., *palco, loge*.
- +foruli, orum, m. pl., *patio, parterre*.
- magister orchestrae, *director de orquesta, chef d'orchestre*.
- 42 +sannio, onis, m., *arlequín, arlequin*.
- 43 +maccus, i, m., *polichinela, polichinelle*.
- 44 +mimus, i, m., *pierrot, bufón, pierrot*.
- 47 \*grammophonum, i, n., *gramófono, grammophone*.
- +deverticulum, i, n., *rompecabezas, jeu de patience*.
- cocus, i, f., *cocotero, cocotier*.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

# Commercium epistulare

Josephus M.<sup>a</sup> Mir Patri Andreae Avenario, socio carissimo sal.

Ex quo superiores litteras ad te dedi, aures quasi tinnire nomen tuum continuo videntur... Andream, Andream recordare ejusque nominalem diem..!; sed negotiola quae et tua tempora et mea surripiunt manibus calamus admove ad amicum non sinunt... Et tamen litterae mittendae, quas legas nominali ipso faustoque die tuo. Aëra transcendendum ejusque pennis cum epistula ad te volabo. Tibi igitur fausta, felicia omnia: te Deus nobis sospitem in multis annos servet.

Ac denuo ad quaestionem nostram. *Almam Romam, Societatem Latinam, Juventutem Hungaricam, PALAESTRAM* nostram optime nosti in quibus aliquot viri praeclari, quid de novis vocabulis inducendis senserint, quibusque regantur oporteat principiis novae voces, statuerunt; nosti simul quam sequantur viam atque loquendi rationem qui castigatorem latinatatem juxta classicos auctores amant et colunt: ex his omnibus nonne quaedam principia erui possunt? Quenam vero ex his tuo iudicio firma sanctaque retinenda? *Societatem Latinam* raptim pervolvebam cum in Dris. Georgii Lurz dissertationem «Quale sit eligendum dicendi latine genus» incidi; neque displicet dissertatio..

Dum ea animo versas quae «affirmativa» dixerim principia, «negativa» aliquot excogitavi quae agitata tibi et lectoribus propono:

1) Improbanda in primis vocabula alio modo aut locutione a romanis reddita:

sic pro:	abonnare (1)	DICENDUM:	subnotare.
	<i>compartimentum</i>		membrum, locus, loculamentum
	<i>actualis</i>		praesens
	<i>alcoba</i>		zotheca, dormitorium
	<i>analfabeta</i>		litterarum, seu elementorum rudis
	<i>attentatum</i>		nefarius conatus, n. facinus, insidiae
	<i>revaloratio pecuniae</i>		recens, seu denuo auctorata pecunia
	<i>disarmatio</i>		ab armis discessus
	<i>aquarellum</i>		aquatus color, aquatis coloribus pingere.

Sic pariter minus probata videntur *egoismus* et *idealis* homo.

2) Rejiciendae aut rarissime adhibendae novae voces flexionem latinam non habentes, qua quidem donanda sunt: *coñac, ron, anisete, yogurt*, cet.: *cogniacum, rhunum, anisetum, luc jogurtinum*; eadem ratione flecti debet prima compositi pars, sic improbanda sunt: *machinofocilis, osharmonica* («filarmónica»), *vapornavis* («vapor»), quas quidam novatores ausi sunt proferre.

3) Quae specificam habent flexionem a latino sermone absonam aut ea donari debent, quod quidem saepissime facile erit, ut supra diximus, aut vox praeposenda est generica, aut locutio adjicienda quae alienigenam significet:

(1) Quae in SOCIETATE LATINA proposita invenies.

*musica jazz, musica, quam vocant, jazz, et rectius musica jassica; ludus hockey, et rectius hoccaeus, hoccejus.*

4) Quamquam novum aliquod inducamus substantivum in sermone latino, non ideo ex eo necessario derivare possumus verbum, nam saepissime substantivum habemus, verbum autem novare barbarum omnino erit; qua ex ratione minus probarem *telegraphare* et *telephonare*, quamvis admittamus *telegraph(i)um* et *telephonium*; *debombare* autem certo non rejicerem si primigenium *bombare* exstaret aut illud antea effingeremus et probarem: quod, quo pacto fieri possit, non plane video.

Sed nominalem tuam meis ineptiis graviorem reddidi et hora est ut ad te volent litterae... —Perveneruntne PALAESTRAE quas ad te liberaliter misi?

Tuum «Ciceronem» exspecto et enarrationem illius exitus tui quo Albanum accessisti, totque, lugentibus oculis, adspexisti infortunia, amicorum autem festivum vultum, nullum.

Lectores te denuo in PALAESTRA exspectant; nosque, dum scribis, plurimam tibi impetimus salutem. — Barbastro, III kal. decembres a. 1948.

*Andreas Avenula Patri Joseph Miro, C. M. F., viro clarissimo, S. D.*

S. V. B. E. V. Bellissimam nactus opportunitatem preferendas ad te curavi duas in PALAESTRAM elucubrationes, quae, si redditae erunt cum illa de M. Tullio Cicerone peroratione mea, quam nudiusoctavus per Juliam Romae viam dedi, rectissime exclames: «O felix silentium, e quo tantum loquendi flumen proruperit!» hoc uberius flumen, quod non nimis abest dies quo etiam de illa novatorum novandorumve vocabulorum quaestione fortem severamque meam gustabis sententiam. Ante aliquantum epistularum scribendum est, responsiones fere debitas onomasticum nuper diem gratulatis, et legisti in litteris proximis meis, quo ego arte cinctus officiorum cyclo incedam. Sint tibi, sint illis veteribus amicis meis fortunatissima Jesu natalicia et omnibus, qui subit, annus salubriter fletibus vitae misceat gaudia. XIV kal. Jan.

*Jos. M.<sup>a</sup> Mirius Andreae Avenulae, socio carissimo sal. pl.*

Quantum illud tuum silentium amo quod te loquendi tam facundum disertumque reddiderit... Illum epistularum et scriptorum tuorum fontem atque flumen ne, quaeso, exhaustas... Suo tempore, quae de Cicerone ad *Viam Juliam* transmissa nuntias, edentur, quae tandem ad nos pervenerunt.

Nostra per P. Alexandrum tibi reddita esse omnia spero et in primis PALAESTRAE volumen.

Tuam sincero animo exspecto de novis novandisque vocibus sententiam; veritatem omnes insectamur; utinam lucem inveniamus et rectam loquendi rationem. Ut exemplum proferam variarum sententiarum apud scriptores sive in veteribus vocabulis accommodandis sive in efficiendis novis, en tibi quorundam verborum conspectus:

	I. URZ (1)	DUMAINE (2)	BACCI (3)	WAGNER (4)	COGNASSO (5)
<i>Coronel:</i>	Colonellus	regimenti praefectus major	tribunus militum, praefectus cohortis,	chiliarchus, tribunus militum	regimenti praetor, chiliarchus
<i>Batallón:</i>	Battalio	cohors			cohors
<i>Oficial:</i>	officiarius	praepositus militaris	ductor militum, ordinum ductor, praefectus militum, praepositus militibus	tribunus militaris, centurio, ductor ordinis	ordinum ductor, principalis, centurio, praepositus, praefectus
<i>Compañía;</i>	Compania	centuria			centuria
<i>Regimiento:</i>	Regimentum	regimentum			regimentum, legio

Quam ergo sequemur viam? *Colonellus, battalio, officarius, compania*, novanda cum cl. v. G. Lurz? Ego quidem de his vocibus quaedam agitanda haberem; quae autem tua sententia?

Emendatio in Beatae Mariae Goretti odem aptissima, ac mutuae cum Arenario, cl. viro, litterae venustulae quidem; copiam tuam et facundiam mecum ipse —cum amico tuo— demiror et laudo maxime. Si quae opportunitas carmen rursus edendi dabitur, tuis placitis libentissime obsecundabo. Iter tuum, in alium PALAESTRAE fasciculum.

Viden' PALAESTRAE faciem mutata? saepius ab amicis artis et picturae peritis rogati, id tandem perfecimus. Familiam nostram *Claretianam* citius salutabis centenariam, quod tibi gaudio fore spero.

Tua dum exspectamus. novus annus faustus decurrat et felix atque a negotiis expeditior. Barbastro, postridie nonas jan. a. 1949.

## Errare humanum est

Quod putabam nonnullorum PALAESTRAE lectorum interesse, eorum videlicet, qui meam in fasciculo 105 odam Gorettianam legissent, e privato epistulari meo commercio pauca hic pono in medio studio impulsus veri rectique.

Itaque nuper appropinquante S. Andreae Apostoli die, inter ceteras epistulas reddita est mihi etiam Arenarii, in religione fratris, viri cum primis graece et latine et mathematice docti, epistula, in qua sic fuit: Nunc vero pauca de hymno tuo, ceterum pulcherrimo, in Beatam Mariam Goretti, castitatis inclitam martyrem et florem juventutis. In strophae quartae decimae ver-

(1) Cf. *Juventus*, 1942, n. 298, p. 68. — (2) *Conversations latines* 3, p. 256 - 8. — (3) *Varia latinitatis scripta*, Romae. — (4) *Dictionarium rerum recentissimarum Hungarico-latinum*, Budapest. — (5) *Il latino per l'uso moderno*, Torino.

su tertio vere nimium cecinisti; versum enim duabus syllabis effecisti longiorem, quam oportet et decet: cum novem debeant esse syllabae, posuisti undecim: «Sentis propinquas, ni cedas ruinas». Tu ergo videsis, qua id ratione carrigas, ut deleatur macula tui operis.

Huic est a me responsum V. kal. dec. sic: Oh! quam me momorderunt illa pauca de Gorettiana ode! Fortitudo certe: «ni cedas», et virilitas ita tenebat pangentem, ut praeterlaberetur sermo repagula metri. Numerando syllabas invitus quidem, sed necessario fateor etiam hic te fuisse, qui fuisti semper, lyncei generis homo, cujus oculis nihil elabitur. Et nunc invenis emissiciis illis oculis et tamen tam debilibus, errorem metri. Quare non statim proposuisti ex tua copia et penu, quae maculae velamen essent? «Tu ergo videsis, qua id ratione corrigas, ut deleatur macula tui operis». Vellem vidissem gaudium in tua facie haec verba battuentis! Sed cogitavi statim de medicina, et te interrogo, quod genus tibi praefendum censeas. Haec enim undecim syllabis efferri possunt: «Constantiae sentis ruinas»; brevis sermo sed fortasse quibusdam parum apertus, ceterum mihi poëticus qui videatur esse. «Si stas, vides certae ruinae» scilicet sunt vel erunt. Nec illud insulsum: Promptas vides, si stas ruinas»; sequitur idem nomen, quod est «promptus», sed sensu non eodem. «Prompta mori modo liliata». An sic mavis: «Certas vides stanti ruinas»? Tu ergo hoc adde ad consuetam humanitatem et suavitatem litterarum, ut, vel ex his, quid magis tibi probetur, significes, vel pro parvula Maria, nostra aequali, et martyre, ubi nos ne confessores quidem sumus — loquor plurali majestatis numero — melius aliquid ex tuis thesauris impertiaris.

Arenarius (qui vero nomine est R. P. Hermannus Sandkamp) novis litteris haec respondit III Non. Dec.: Romae, cum apud te essem, non jam adverteram animum ad versum istum hypermetrum, de quo in litteris superioribus scripseram. Hic, cum saepius legebam, syllabae frangentes metri repagula offendebant mentem et oculos. At non statim censebam scribendum, sed expectabam diem onomasticum, ut ita unirem quod est gratum et quod utile. Stupebam, quam celeriter quamque copiose tu illud mendum emendasti! Ter et quater! O ter quaterque beatum qui ita possit et sciat uti instrumento linguae Ciceronis et Horatii! (qui vero utinam ego sim!) Maxime probo, quod tu pesuisti ultimum, sc. «promptae ruinae»; eae enim foris parantur et perbene opponuntur promptae menti et voluntati quae intus operatur. Est enim axioma quoddam philosophiae: «Opposita juxta posita magis elucescunt». Nam ita posita unum alteri est stella lucens et fulgens. «Constantiae ruinae» non placent, quia sunt ambiguae: videri enim potest ipsa constantia dare ruinas; et id esset vere deplorandum.

Et Arenarius quidem hactenus. Reliquum est ut te hortor, ut, si illam oden purgari velis, pro his verbis: «Sentis propinquas, ni cedas, ruinas» alia ponas et metrum servantia verba. Ego certe cum Arenario meo posthac legam: «Promptas vides, si stas, ruinas - Prompta mori, modo liliata. — AVENARIUS.

# AVE, MARIA!

*Omnium princeps operum, Maria,  
Temporum lapsum dominaris una;  
Lucis aeternae sine labe splendor  
Sola et imago.*

*Mille te latum celebrant per orbem  
Omnium matrem tibi sacra templa;  
Mille te clamant niveis olentes  
Floribus arae.*

*Te sibi Matrem Dominus paravit  
Antequam mundum faceret, manuque  
Prodiga caeli sereret profundum  
Aethera stellis.*

*Jam profecturus pater exul Adam  
Te Dei novit monitu parentem  
Alteram, nobis Geniti daturam  
Munere vitam.*

*Te novum signum cecinit propheta  
Virginem matrem, Moisisque vinci  
Te rubus miro retulit stupenti  
Nescius igne.*

*Rore te vellus Gedeonis udum  
Caelitus factum, Noë te colore  
Nubium tractus vario serenans  
Innuvit iris.*

*Dulce surgentis jubaris nitore  
Tingitur videns Orientis ora;  
Pulchrior nascens graderis superni  
Nuntia solis.*

*Lilium campi, rosa quae rubescit  
Purpura ad solem viridantis horti,  
Quaeque sit virtus bona, quae decora  
Culmen adeptæ.*

*Mane flos roris niveam coronam  
Explicat gemmis; Domini, beata,  
Cor fide verbis aperis Deumque  
Concipis alvo.*

*Tu Deum virgo pariens adoras,  
Virginum regem sequerisque prima;  
Te nihil majus voluit Creator  
Condere Verbum.*

*Tu peregrinis zephyri sereno  
Suavis e caelo venientis aura;  
Purus ad vitam recreans vocatos  
Jugis aquae fons.*

*Dum tumescentis minitantur undae  
Aequoris navim tenebraeque noctis,  
Gratias nautis micat alta caelo  
Stella polaris.*

*Tu maris vitae per iniqua raptos  
Respicias; tutum precibus rogata  
Mox iter signas, rutilans secundo  
Lumine sidus.*

*Saepe quin ultro, pia, te foventem  
Obviam praebes miserans egenis;  
Praevenis cordis vigilans et ipsa  
Vota precesque.*

*Jam novo belli premitur furore  
Gens tua; errorum specie superbit  
Turba fallaci et numerosa Petri  
Linqvit ovile.*

*Eja, age, o Mater! miseris adesto;  
Ni rapis leto, vorat hostis ira  
Quos tibi natos tribuit tuendos  
E cruce Jesus.*

*Mentis humanae tenebras superne  
Disjice horrendas, aciemque dia  
Luce confirmans rationis ausa  
Contine vana.*

*Falsa promentes sequitur prophetas  
Obsequens vulgus; fera turma Christo  
Surgit insultans odiisque flagrans  
Saeva minatur.*

*Nil habet sanctum; ruit omne praecipis  
Per nefas culpæ temerata pudendis  
Quidquid augustum, Domini perosa  
Nomen et ipsum.*

*Undique exardent animi et frementes  
Intonant linguae; «novus ordo rerum  
Incipit... Christi crucis execranda  
Transiit aetas!..*



*Caedis effrenae cupidas ferina  
Scindit et gentes agitat simultas,  
Cunctaque alternae furor ater urget  
Pectora cladis.*

*Clamitant pacem; tigris dum furentes  
More sed pergunt laniare fratres!  
Bella jam totum lacrimosa mundum  
Caede cruentant.*

*Ast nimis terrent animum futura  
Visa praesagae graviora mentis:  
Quantus, heu! terris labor et malorum  
Ingruit horror!*

*Supplices audi, pia Virgo! nostri  
Quae salus gaudes populi vocari,  
Jura fac omnes recolant redempti  
Regia Christi;*

*Fac Crucis signum dociles sequantur  
Gentis humanae populi per orbem  
Ac bonus pastor regat unus unum  
Christus ovile.*

*Lud. LUCESOLE, Pter.*

*Apud González Catán, in Argentina*

## BIBLIOGRAPHIA

J. HUMBERT H. BERGUIM, *Histoire illustrée de la littérature grecque*, 484 pp., Didier, Paris, 1947.

Liber «Historia litterarum graecarum» inscribitur, ad alumnorum usum, in charta selecta et ordinatione varia atque prudenti, plurimis scite et apte dispositis imaginibus collustratur, quibus res et species priscae antiquitatis classicae in notitiam et cognitionem revocantur; natura haud dissimilis «Historiae latinae», an. 1932 ab eodem cl. auctore Humbert, editae. Liber genuine classicos auctores redolet.

Praeter multiplicem et opportunam de rebus ac temporibus eruditionem, vita quoque enarratur, ac subtilius quae sit scriptorum indoles, quae eorum sensa, quae eorum cogitandi perfecta ratio investigatur; ea enim veteres scriptores in suis operibus quasi infusa nobis prodiderunt: illud nempe, quo classici, dum litteras humanas edocent, animum totumque hominem ad perfectam eruditionem instituunt. Quae quidem in pauca capita comprehensa, brevitate aptoque ordine praestant.

Simili modo qua ratione veteres cogitata expromant — exemplis praesertim confirmatur —, illa enim semper ornata eloquendi forma induunt. Nihilominus, uti patet, optimus quisque magister non

in historia operum sed in ipsis operibus demonstratur. Hac tamen «Historia» cl. auctores id adepti sunt: ut graecitatis studiosis plenam classicorum comprehensionem inducant.

ANT. PLANAS, C. M. F.

J. GUILLÉN, Pter., *Composición y Traducción*, I, II, III, 1947-8, Salamanca, Edit. Sígueme.

Humanissimi lectores nostri cognitam atque perspectam habent diligentiam industriam atque in litteras latinas amorem quo Dnus. Jos. Guillén — novae Societatis ad fovendas litteras humanas moderator — flagrat sociosque incendit. Nunc autem indefesso illo ardore atque studio ad laborandum, *Grammaticae, Stilisticae, Latinitatis Clavi* tria addidit volumina — quae tribus prioribus annis respondent — alumnisque exercitia praebent ex hispanica lingua in latinam vertenda et e contra. In his alumnus gradatim exercetur atque ex facillioribus ad difficilliora themata ducitur; ac vel in primo volumine ingenium certo acuet dum quasdam locutiones vertat; forsitan admonendus erit parvulus de prisca illarum vocum latinitate «nequitur, quitus sum, quita est, infit, memores fandi et nefandi»... In hoc volumine Nepos et Phaedrus vertendi proponuntur; in altero vo-

lumine Caesaris Commentarii de B. G., litterae Ciceronis ad familiares, Tibulli et Ovidii selecta loca; in tertio vero Somnium Scipionis, pro Archia poeta oratio, Cato Major, Caesaris Commentarii de B. C., eclogae Vergilii, Ovidii Tristia Catullique carmina.

Horum autem scriptorum annotationes id quasi peculiare ac proprium habent quod ejusdem auctoris grammatica continuo consulenda referatur. In altero et tertio volumine grammaticae exercitia complentur ita ut de omnibus vel de prosodia et metrica perfecta habeatur exercitatio. Quae omnia sale quodam latino consperguntur dum alumno colloquia de rebus et romanorum institutionibus perficienda proponuntur, quae quidem haud imperite ab ipso auctore complura sunt exarata. Scimus cl. auctorem alia parare opera quae ad integram alumnorum institutionem maxime conferent (1)

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

M. LAVARENNE, *Prudence, T. I: Cathemerinon*, Texte établi et traduit. Paris, «Les Belles Lettres». 1943, pag 75.

«Librum Horarum» commendamus, qui A. Prudentii lectoribus magno sit semper solacio ac voluptati, nunc vero praecipue cum saeculum XVI. um (348 1948) nati poetae hispani agitur. Hoc «Horarum» volumen pulcherrime concinnavit Dnus. M. Lavarenne, rerum prudentianarum peritus. Interpretationem comitatur prooemium in quo de vita et operibus Prudentii ejusdemque virtutibus et vitis dicendi, de christiana religione et classicarum litterarum cultu earumque concordia, subtilius disseritur.

Quod autem de vitis poetae dicitur, non nihil demiramur tantum auctorem hispano vatis origini et indoli potius quam illius temporis modo et generi dicendi paulo exquisitius usitatis, nimium forte pondus momentumque tribuere. Ea igitur verborum inanis redundantia, ea cupiditas truculentarum vividiorumque

rerum, ea denique subito fundendi versus facilitas, nescimus utrum origini et indoli hispani vatis sint omnino tribuendae, cum hujusmodi naevi ac menda apud fere omnes Prudentii aequales scriptores inventiantur. Illud quidem rigidius nobis videtur: «Prudentius, quamvis splendidis dotibus ornatus, magni poetae nomen nunquam sibi vindicabit; duae enim praecipuae ei virtutes desunt: verborum comitas et modus». Ceterum, interpretatio concinna et elegans, tum notis criticis, tum profanarum atque sacrarum fontium citationibus ad pleniorum poetae comprehensionem adumbratur.

N. MARINONE, *Elio Donato, Macrobio e Servio commentatori di Vergilio: Vercelli*. Presso l'autore, 1946.

«Vexata quaestio», ut ipse auctor fatetur, quae veteris exegesis Vergilianae studiosis utilitati esse possit, hac disquisitione proponitur et disceptatur. Fretus igitur Dnus. Marinone collatione locorum communium, ad haec summa capita redactorum, scilicet, a) de imitatione, b) de figuris, c) de rhetoricis artificis, d) de jure pontificali vergiliano — qui loci apud Servium, Macrobius et Danielis Scholia, dispersi inventiuntur — confirmare contendit cl. Rand philologi opinionem; quod «Servius» Daniels ab Aelli Donati commentario manat, unde et hausit Macrobius, quem demum ponere inter Donatum et Servium opus est.

Argumentum philologicae ac scientificae castigatum — forte quis mirabitur hanc de litteris quaestionem interdum vel algebraico, ut ita dicam, modo tractatam — potissimam rationem concludere videtur. In nobis spes est hoc operum genus prima signa fore summae editio- nis trium vergilianorum s. IV scholiarum qui ab Universitate Harvard in lucem edentur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

1 Non nullae etymologiae non omnibus forte probabuntur, ut in vocibus *adhuc*, *anceps*, *persona*, *concilium*.

PIERRE DU BOURGUET *Le Latin - Comment l'enseigner aujourd'hui*. Paris. Editions A. et J. Picard et Cie. 82. Rue Bonaparte, 1947.

Liber, quem Dnus. P. du Bourguet nobis offert, novam quasi rationem paedagogiae latinae proponit. Auctor enim necessitatem probatae directionis in tradendis litteris latinis expertus est, *instrumenta* enim saepe ut *finis* desumuntur. Cui rerum inopiae ille subvenire vult.

Ut recte grammatica et vocabulario utamur monita sapientiora in 220 pagellis praebet. Itemque ut optimus libellus *vade-mecum* pro grammatica conficiatur. Tamen grammaticam et vocabularium prorsus neglegi non posse censemus, quamvis prioribus annis haec quasi *finis* sumantur. *Vademecum* autem, juxta auctorem efficitur, partim ex syntaxi, partim ex vocabulario: quae tamen ab alumno transcribenda erunt.

Rei quoque maximi momenti auctor sedulo studet, adolescentis scilicet institutioni mentis ac morum ex latinitatis studio et considerata lectione.

Duas addit appendices: comparat vernaculam et hodiernas linguas cum latina. Opus selecta bibliographia librorum paedagogiae latinae coronat.

Hunc librum magistris atque alumnis perutilem reputamus; sed ut jam in prooemio auctor annotat: «cette méthode non constitue «la méthode». Elle nous paraît s'adapter aux exigences de notre

temps; demain une autre sera nécessaire. Seuls les principes, les lois de l'esprit humain demeurent».

JACOBUS GARCIA, C. M. F.

V. GARCÍA DE DIEGO, *Orientaciones sobre el género en latín*, con especial estudio a la sinonimia genérica. Sevilla. Impr. Suárez, 1947.

Hic fasciculus continet thesım ad lauream anno 1935 confectam et recens ab auctore editam. In eo agitur de genere verborum: in primis de hujus quaestionis conspectu historico, tum de diversa ratione genus exprimendi, postea de influxu synonymorum, denique de nominum genericorum in specificis influxu.

Omnia antiquorum recentiumque magistrorum doctrina illustrata videbis, nitida expositione tradita. Desideratur tamen accuratior diligentia in mendis corrigendis, maxime in verbis graecis, majorque typorum graecorum copia. Pudet enim pigetque, *jrysós, árjyros, jalkós, móllybdos, oreijalkós, métallon* et similla in opere hujusmodi invenire. Quamquam mihi non latet tempora hominumque mores iniqua ineptaque esse.

Quod tamen nihil obstat quominus in hoc opere plura utilia, curiosa, immo et praestantiora reperiantur, quo fit ut ex eo magnum commodum percipi possint maxime ii qui uberiores et callidiores linguae latinae cognitionem inquirunt.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.

## SYMPOSIACON

*Quae tanta vates praemia mollibus  
volet, sodales, dicere versibus,  
qua luce tam cari Parentis  
festa dies hilaris recurrit?*

*Quae dona poscit comiter elevans  
plenum lyaeo munere poculum,  
cum risus ac dulces susurri  
in mediis cecidere mensis?*

*Pater, juventae gratus amabili!  
Pater, diserto guttore nobilis!  
fac, deprecor, tecum per annos  
hae placidae repetantur horae.*

Isidorus MAULEON, C. M. F.

*Vallibus, VIII Kal.  
Februar. a. D. 1949.*

Palaestra  
Exercitatoria  
LYCIDA ET MENALCA

(In Patres qui me arte me-  
trica priores instituerunt,  
peramanter)



- MEN. — *Hic, Lycida, densis requiescat corpus in herbis  
Oreque libetur, tumidi dulcedo racemi;  
Magnus flavescentes jam solvit Apollo quadrigas...  
Adspice qua montis descendit culmine valles;  
Lumine qua splendet discindens jugera vomer.  
Quas pariter flammis, solis contacta sagittis  
Specula ubique vomunt rivi fulgentque nitore.  
Hic nemorum persuadens somnos murmur inire;  
Unda sonos auris hic suaevolentibus addit.  
Hic floret requies omni jucundior auro.  
Nonne tibi arrident? An limen visere non vis.  
Mensis agros rutilae felicitis Moelibeoci,  
Qui fundendo melos committit semina sulco:  
Interdum extollit faciem, risuque sereno  
Intuitur qui accedit natum aetate virentem?  
Hic Patria, hic mecum placeat tibi ducere vitam.*
- LYC. — *Me gladius clipeusque vocant et tela, Menalca.  
In romana contendit victrix phalange  
Lucilius, noster proavus, cum barbarus ausus  
Ad muros Urbis vindex accedere Didus.  
Dein hortatu Scipiada de sanguine Martis  
Ad Lybicos ense subdendos strinxit acutum.  
Nunc satus illustri non frustra sanguine, in Urbem  
Omne securo pergo ipse in castra coactus.*
- MEN. — *Quomodo tunc ovium custos ex milite natus?*
- LYC. — *Jam nosces, cui erat Lycidarum fama, parentem  
Caesaris ultra Alpes comitem per rura fuisse.  
Cum summum imperium, subjecta gente, potitus,  
Noluit Aeneadam ferrum foedare cruore,  
Quandoquidem «valida ausonidis invictaque ferra  
tradidit, ut sceptrum teneant, mars inclitus, orbis».*
- MEN. — *Regibus, euge quidem, Lycida mi, nascimur, euge!*
- LYC. — *Sed crocea exoritur jam casside, care Menalca,  
Nubila dum solis radiorum tela cruentant  
Acribus in pugnis noctes adversus et umbras.*
- MEN. — *Balatus labuntur saepe bidentium ab ore,  
Pascua qui cupidi spectant recreare per uda.*
- LYC. — *Perge, Menalca, capellas hic age protinus arvis  
Et viridante sui ludent in gramine nati.*

Albertus VICENTINI, C. M. F.

In Col. Villae Claret, in Argentina.

# EDITORIAL

# GRAFICAS CLARET

## TEXTOS PALAESTRA

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

### 1.º y 2.º Cursos:

Historiae Sacrae Compendium	
(3. <sup>a</sup> edición) 6'00 ptas.	
Epitome Historiae Graecae	
(4. <sup>a</sup> edición) 8'00 »	
C. Nepotis Vitae Excellentium	
Imperatorum (en prensa)	
Primer Curso de Lengua Latina	
4'00 ptas.	
Segundo Curso de Lengua Latina	
6'00 ptas.	
REPETITORIUM	}
en cartóné 12'00 ptas.	
en tela 15'00 »	

### 3.º y 4.º Cursos:

Ciceronis Epistulae Selectae	6'00 pts.
Caesaris de Bello Civili	8'00 pts.
Ciceronis in Catilinam (I. <sup>a</sup> )	6'00 pts.
Ciceronis pro Archia poeta	6'00 pts.

### 5.º y 6.º Curso:

Sallusti de Catilinae Coniuratione	6'00 ptas.
Vergilii Aeneidos liber II	6'00 »
Horatii Carmina Selecta (en prensa)	
T. Livii Historiae Selectae	8'00 »
De Orthographia Latina	6'00 »

### 7.º Curso:

Prudentii Carmina Selecta (agotado)	
Homeri Odyssea (canto 1.º)	6'00 pts.

### Edición de sólo texto latino:

Ciceronis Epistulae	2'00 pts.
Ciceronis in Catilinam (I. <sup>a</sup> )	2'00 »
Ciceronis pro Archia	2'00 »
Salusti de Catilinae Coniuratione	3'00 pts.
Vergilii Aeneidos liber II	3'00 »
T. Livii Historiae Selectae	3'00 »

## NOVEDAD de "Textos Palaestra"

## GRAMATICA GRIEGA

La **Fonética** al servicio de una morfología más racional.

La **Fonética** al servicio de la pedagogía.

La **Sintaxis** desde el pensamiento griego.

La **Sintaxis** para el pensamiento griego.

**Obra** original de los profesores belgas

**Planque, Lerminiaux, &**

**Traducción** preparada por TEXTOS PALAESTRA

# CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 × 17,5), encuadernados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

## VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28.—
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32.—
4. **BALTASAR GRACIÁN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 80.—
5. **SÉNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30.—
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32.—

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

## EDITORIAL LABOR, S. A.

MADRID: Alcalá 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

# FOTOGRAFIADOS

# M. JOLANO

ARIBAU, 9, INTERIOR · TELEFONO, 30255

# BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# Compositiones vertendae

## TERENCIO

Pocas e inciertas son las noticias que tenemos (1) de la vida de Terencio, las cuales nos transmitió (2) un antiguo biógrafo (3), fuese (4) Suetonio o el gramático Donato (5) o más probablemente otro distinto (6) que retocó (7) los escritos de ellos. Fué Terencio africano de origen (8) y fué esclavo en Roma del Senador Terencio Lucano (9), el cual prendado de su buena presencia y de su excelente ingenio (10) le educó con esmero y le concedió pronto la libertad (11). Tuvo estrecha amistad (12) con muchos nobles y sobre todo con Escipión y Lelio. Habiendo presentado (13) «Andria», (su) primera comedia, a los ediles, fué mandado (14), como dice (15) el antiguo biógrafo, que la leyese (16) antes a Cecilio, poeta cómico, que era entonces ya viejo y de gran fama (17).

NOTAS: 1. *Pauca neque ea satis certa accepimus.* — 2. *Procedere.* — 3. *Vitae alicujus scriptor; qui alicujus vitam narrat (narravit) o enarrat; qui de vita alicujus exponit (exposuit) o scribit (scripsit).* — 4. *Sive.* — 5. Pospóngase el apelativo. — 6. *Seu quis alius.* — 7. *Retractare.* — 8. *Afer no Africanus.* — 9. *Servire, también (servitutum servire) alicui o apud aliquem.* — 10. *Ingenii ac formae elegantia.* — 11. *Institui liberaliter ac mature manu mitti.* — 12. *Ut aliquo familiariter, familiariter vivere cum aliquo.* — 13. *Dare.* — 14. *Jubeor.*

— 15. *Ut scribit.* — 16. *Recitare.* — 17. *Aetate propectus ac gloria clarus.*

\*1. El latín para dar más fuerza al adjetivo lo une a veces con el sustantivo mediante: *et is, isque, nec is, neque is: erant in Torquato plurimae litterae nec eae vulgares.* (*Brut.* 76, 265).

\*8. *Afer*, africano de origen; no *africanus*, que se dice de lo que pertenece al Africa: *Bellum africanum*, guerra africana, guerra hecha por los romanos en Africa; *P. Cornelius Scipio africanus*, Escipión el africano, el vencedor de los cartagineses en Africa, etc.

## LEONARDO DE VINCI


Leonardo de Vinci (1) que ha sido uno de los más admirables ingenios (2) que Italia puede mostrar, recogía con sumo interés una hoja, una florecita, una piedra (3), una concha, un insecto, que le parecían tener algo no común; los guardaba, los observaba, los estudiaba (4); y preguntado por un amigo cómo tenía lleno su gabinete (5) de todas aquellas fruslerías (6) le respondió: «Cuando seas capaz de hacer (7) el tallo de una hoja podrás llamar a estas cosas fruslerías; yo estudio (8) y reparo más sobre estos pequeños trabajos de la naturaleza que sobre tantos y tantos (9) libros hechos por los hombres. Pues ¿qué pincel de egregio artífice podrá imitar los colores de esta pequeña mosca? Entre tanto (10) el mismo Leonardo, máximo pintor, que, cuando iba recogiendo tales cosas, parecía un niño, fué capaz de llenar de estupor (11) a la gente con las obras de su ingenio múltiple (12).

NOTAS: 1. *Leonardus Vincius* 1452-1519). — 2. *uno de los más adm. ingenios; ¿se conservará el partitivo? Ingenios equivale a «hombres de ingenio».* — 3. *calculus*, no *saxulum* (=roca pequeña). — 4. *alicui rei cognoscendae studere*, o bien: *alicujus rei naturam perscrutari.* — 5. Se llamaba *tablinum* (de *tabula*) aquella habitación de la casa romana destinada al despacho de los negocios por el señor,

o a sus quehaceres, o a la conservación del archivo familiar. Se encontraba a continuación del «atrium». Debe preferirse *tablinum* a *zotheca* y a *museum* (lugar de los estudios). — 6. «cosas de ningún momento». — 7. «hagas», téngase cuidado con el tiempo. — 8. bastará aquí el término más genérico *quaerere*. — 9. «un gran número de». — 10. *at* — 11. «atrajo la admiración de los hombres». — 12. *versatilis*.

# CURIOSA ET JOCOSA

## 230. — CRUCIGRAMMA



*In transversum.* — A. Introitus; B. Gratia; C. Concede. Pronomen, Causa (*litteris versis*); D. Auspicerere; E. Fortunae. Conjunctio (*litteris versis*); F. Vocant (*lit. «s» absente*); G. Pro-cumbat (*litteris versis*); H. Avellitur.

*Ad perpendicularum.* — 1. Culta; 2. Diligerer; 3. Pronomen (*lit. versis*). Fassi; 4. Percussi. Ambulem; 5. Corruit (*lit. versis*). Pronomen; 6. Conjunctio. Saevo (*lit. versis*); 7. Nympha (*lit. versis*); 8. Colantur.

SALA Y SACRISTÁN, C. M. F.

## EPIGRAMMATA

### 231. — PICTOR ET PUER

— *Peniculo in flentem possum mutare canentem.*  
— *Scopis mater idem, commodiusque facit.*

### 232. — DOCTOR ET ALUMNUS

— *Quam rudis ingenii es!, tua ego haec aetate sciebam.*  
— *Ergo tibi melior quam mihi doctor erat...*

### 233. — MONITUS

— *Non te, Rufe, pudet totiens deposcere nummos?*  
— *Quod rapui quondam sponte, flagella tuli.*

### 234. — HOMO DIFFICILIS

— *Praesta, Rufe, mihi septem sextertia. — Septem?*  
*Istud ais, nec te, desidiose, pudet?*  
— *O hominem, videas a te quam pauca requiram!*  
— *O hominem, videas quam tibi pauca negem!*

### 235. — IN CATECHESI

— *Quot sunt — dic, infans, mihi — sacramenta? — Fuere.*  
*Namque meo data sunt ultima nuper avo.*

### 236. — IN DEAMBULATIONE

— *Heus, quam calvus homol — Ne clames, audiet ille!*  
— *Num rem compertam non habet ille sibi?*

### 237. — PROBLEMATIS SOLUTIO

— *Bis denos habeas, Tite, in crumena nummos. At, Superi vetent!, bis octo amittis. Quid habet crumena? — Rimam*

J. MAULEÓN, C. M. F.